



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

In Epiphaniis Domini, Euangelium Matth. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

membrum: Sed præcipua causa est, subiectio sub legem, quæ non est intelligenda tantum ciuilitèr, quod uoluerit esse obsequens ciuis: Sed subiectio sub legem in illa persona, quæ non erat debitor, singulare beneficium significat, ad nos pertinens. Est enim subiectus legi pro nobis, uidelicet, non tantum officijs legalibus, sed etiam maledictioni, & poenæ, quam nos eramus meriti, ut fieret hostia pro nobis, placens patrens & liberans nos à maledictionibus legis. Itaq; circumcidi Christum, significabat eum subijci legi pro nobis, cum ipse non esset debitor, & iam obligari ad mortem pro nobis.

Hæc beneficia agnoscere, intelligere, & celebrare discamus, uidelicet, nos redemptos esse à maledictione legis, hoc est, ab ira Dei propter filium legi subiectum, & hac fide Deum inuocemus, & ei obediamus: Discamus item hanc ueterem naturam lapsam, amputatam, & præcisam esse, & promissam nouam & perpetuam naturam & uitam.

IN EPIPHANIIS DOMINI,  
Euangelium Matth. 2. *secunda*

**C**UM AVTEM NATVS ESSET  
Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus  
Herodis regis, ecce Magi ab oriente  
teue

IN EPIPHANIIS

te uenerunt Ierosolymam dicentes, ubi est qui natus est **Rex Iudæorū** uidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum.

*Michs.  
5.*

Audiens autem **Herodes rex**, turbatus est, & omnis **Ierosolyma** cum illo. Et cōgregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi **Christus** nasceretur. At illi dixerunt ei: **In Bethlehem Iudææ.** Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exhibit mihi dux, qui regat populum meum Israel.

Tunc **Herodes** clam uocatis **Magis** diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuerat, & mittens illos in **Bethlehem** dixit, **Ite & exquirite diligenter de puero, & cū inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum.**

Qui cum audissent **Regem**, abierunt. Et ecce stella, quam uiderant in **Oriente**, antecedebat eos, usq; dum ueniens staret supra ubi erat puer. **Videntes autem stel-**  
lam

Iam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, Thus & Myrrham. Et oraculo admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

## LOCI QVINQVE.

- I** Testimonium de nato Messia.  
**II** De uocatione Gentium.  
**III** Testimonium Prophetæ de loco:  
 Et locus etiam nominatus est,  
 ut de tempore etiam nos confirmet,  
 quod uidelicet stante politia huius populi,  
 uenire Christum oportuerit.  
**III** Nato Christo mox sequitur persecutio.  
**V** Magi offerunt munera, ut infans  
 & parentes habeant uictum.

De

## IN EPIPHANIIS

### DE PRIMO.

**S**AEPE dicimus dissimilitudinem obseruandam esse imperiorum & ecclesie. **A**lexandri uictorie conspiciuntur omnium oculis, & omnium gentium testimonia habent: **B**ed res, quæ geruntur in ecclesia non sic incurrunt in oculos, & tamen oportet esse certa testimonia. **Q**uanquam igitur non omnes norant ibi natum esse **M**esiam, tamen multa sunt testimonia proposita, ut fides sit certa. **M**ater scit se uirginem peperisse. **I**oseph audit idem ex angelis: **N**unciant angeli pastoribus natum esse **M**esiam: **N**unc stella monet **M**agos, qui postea erunt testes nati **M**esie, **N**ec refert utrum stella noua, aut angelus fuerit ut **C**hrysostomus intelligit: **I**ta deinceps reliqua testimonia consideranda sunt, ut fident nostram confirmemus, & certo sciamus exhibitum esse **M**esiam, & hunc esse saluatorem, & facturum ea, quæ promissit, exauditurum nos &c.

### DE SECVNDO.

#### De uocatione Gentium.

**M**AGI proprie dicebantur **P**ersarum sacerdotes, quos necesse est aliquam habuisse de uenturo saluatore doctrinam: **A**lioqui enim cur in **I**udæa quærent regem, quam sciebant oppressam esse misera seruitute. **A**rbitror autem fuisse reliquias ecclesie **D**anielis, qui fuit præfectus **P**ersie: ac fuisse

fuisse pios, quales plurimi erant inter Gentes, qui inuocabant Deum fide promissionum traditarum populo Israël, etiamsi cæremonijs non onerabantur. Sciebant autem ex Daniele etiam circiter ea tempora uenturum esse Messiam.

Estq; hoc exemplum insigne testimonium, quod euangelium ad Gentes pertineat. Et cum de uocatione Gentium dicitur, simul comprehenditur hæc doctrina, quod gratis, non propter legem donetur remissio peccatorum. Hæc consolatio simul ueniat in mentem.

## TERTIO, DE LOCO

Michææ.

**V**TILE Testimonium est ad refutandos hoc tempore Iudeos: Oportuit nasci Christum in Bethlehem, Ergo necesse est eum uenisse iam, quia oportuit cum stante politia illa nasci, quam Deus funditus deleuit, ut testetur uenisse Christum. O mira Dei consilia, excidium Iudaicum confirmat pios, & conuincit Iudeorum pertinaciam.

Est autem & hoc obseruandum in dicto Michææ, quod de utraq; natura in Christo concionatur: dicit, ducem uenturum esse ex Bethlehem, id de natiuitate ex uirgine dicitur: Deinde addit: Egressus eius ante initium mundi. Hic testatur eum esse natum ex patre ante initium mundi. Iam hic dicendum est, qualis sit  
**F** dux

## IN EPIPHANIIS

dux, qui liberat, uidelicet, à ueris malis, à peccato, ab ira dei, & à morte aeterna: Et hanc liberationem uerbo suo efficit in credentibus, non propter nostram dignitatem. Hæc cogitanda sunt hoc loco.

### Q V A R T O,

#### De persecutione.

**N**A T O Christo statim metuunt mutationem regni Herodes & Pharisei: Ideo conantur eum tollere. Et diligenter hic consideranda est simulatio. Sic semper ecclesia oppugnatur simulatione, & aperta ui.

### Q V I N T O.

#### Magi offerunt munera.

**M**A G I agnoscunt hunc infantem esse Mes-  
siam, quia haud dubie fuerunt tales, quales  
supra descripsi, discipuli Prophetarum, qui  
tenuerunt doctrinam de futuro Messia, sicut hæc do-  
ctrina late toto orbe terrarum sparsa fuit: Et iam  
Hierosolymis audierant uaticinium Michee, quo  
etiam confirmati sunt. Nec dubium est, quin de tali-  
bus scripturis multa cum Ioseph, Zacharia, & reli-  
quo sodalitia ibi contulerint.

Porro hoc totum exemplum est illustris pictura  
ecclesie, qualis sit, in quibus periculis uersetur, quo-  
modo defendatur & alatur, non humanis consilijs,  
sed

## DOMINI

sed deo gubernante. **E**cclēsia est ceteris paucorum dispersus, **M**ariae, **I**oseph, **Z**achariae, **E**lisabeth, **S**imeonis, **A**nnae, pastorum, magorum & similium, cum interim sibi titulum sumerent pontifices, & alij impij cum uerbo dei belligerantes, cum ecclesia tantum ibi sit, ubi est uerbum dei. **H**ostes sunt **H**erodes & pontifices. **E**t defenditur hęc ecclesia aduersus **H**erodem, & alitur muneribus magorum. **H**ic **D**eus mirabili modo seruat ecclesiam, etiam in hac uita: **S**icut inquit **P**salmus: **N**on uidi iustum derelictum in fame &c.

## ALLEGORIA.

**M**AGI offerunt aurum, thus, myrrham. est pulchra significatio, quanquam prius considerandum est beneficium corporale, quod **D**eus munere oblato à **M**agis uoluerit curare uictum matri & puero. **Q**uia **D**eus uult sustentare ecclesias liberalitate aliquorum piorum, principum aut locupletum, **E**t quod hęc beneficia magni aestimet **C**hristus, testatur ipse cum dicit: **Q**uodcumq; fecistis unē ex minimis meis, mihi fecistis. **I**tem, qui dederit alicui potum aquę frigide, in nomine meo &c. **S**ic & **P**aulus dulcissime gratias agit **P**hilemoni, quod exceperit & iuuerit pauperes & egentes ministros, **R**eferta sunt, inquit, abs te uiscera sanctorum.

**A**urum regulariter significat puram doctrinam

**F** 2

fidei



## DOMINICA I.

fidei, sicut in Psal. Lex tua sicut aurum plurissimum. Thus significat inuocationem & confessionem. Myrrha, crucem & afflictiones, quæ sequuntur confessionem.

Hæc munera nos quoq; debemus offerre Christo. Primus cultus est studium doctrinæ & fides. Secundus est inuocatio. Nam sic uere colitur, non cum ipsi damus, sed cum ab eo petimus: sed inuocari debet fide id est, fiducia mediatoris Christi, non propter nostra merita. Postea sequuntur afflictiones, non tantum corporales, sed etiam Diaboli insidiæ. Et Deus uult ecclesiam subiectam esse afflictionibus, ut in his exerceatur fides.

## DOMINICA PRIMA POST Epiphania, Euangelium Luc. 2. secundo.

**E**T IBANT PARENTES EIUS  
quotannis in Ierusalem, in die festo  
Paschæ. Et cum factus esset annorū  
duodecim, ascendentibus illis Ierosoly-  
mam secundum consuetudinem festi,  
consummatisq; diebus cum redirent illi,  
remansit puer Iesus in Ierusalem, & non  
cogno.